

vel etiamnum in amplissima fidei, & gratiæ luce, vehementius attamen, ac pertinacius retrahit? TULL. Ratione igitur, quæ sola Divini Spiritus capax est, qui mentibus illabitur, non sensu carnis ambulemus: nam animalis homo non percipit ea, quæ sunt Spiritus Dei.

## DIALOGUS III.

Unde similitudo plurium Rituum apud  
varias gentes, religione maxime  
diversas?

### PUBLIUS.

**U**Num adhuc est, quod abs te cupio, Tulli Optime de modo scilicet, cultuque Religionis. Audiisse aliquando me recolo, plures opinari, nonnullos Ethnicorum qui Hebreorum conversatione, ac Scriptis utebantur, ab iisdem non pauca suam in superstitionem, additis fabularum laciniis, traduxisse. Alios e converso persuasisse sibi, plura e paganorum ritibus in cultu Deorum ad Hebreos commigrasse, & ad unius Dei cultum sanctius ordinata fuisse. TULL. Cave sis præcocem fidem. Tria in quæstionem hic veniunt, videlicet Fabulæ Poëtarum: Sacrorum, & Sacerdotiorum Ritus: Universales demum nonnullæ apud omnes prope gentes Actionum quarundam communium consuetudines. De singulis pecculariter te docebo.

Fabullas quod attinet, Ethnica quidem Superstitio Moyse, sacrisque Scripturis, longe antiquior fuit: Homerns tamen, primus, quem novimus, & antiquissimus, ac Parens Poëtarum, Iliadem suam, & alia, annis demum fere quingentis post legem scriptam commentus est. Unde forsitan penitus inficias ire non

liceat, ingenii petulantiam apud Poetas ex Personis, Factisque Bibliis nonnullam subinde mentiendi analogiam sumsisse, ut v. c. ex creatione, lapsuque hominis fabulas Promethei, & Pandoræ, ex diluvio nugas Deucalionis; ex Noemi Jani bifrontis monstrum ex fortitudine Samsonis labores Herculis derivandi. Id quod contingere potuisse, opinantibus indulgeo contigisse, non assero.

## III.

Sacrorum autem Ritus quod concernit, non paulo difficilior habeo. Duo etenim sunt, quæ credere vetant, Paganos & Hebreos exempla cultus Divini a se mutuo petiisse. Primum namque internecinum illud odium, quod Ethnicos inter, & Judæos religiones causa intercessit, mutuam immitationem utrinque citra dubium execrabilem reddidit. Deinde, quod amplius est, Sacræ Paginæ fide teneri oportet ab omnibus, quaslibet Cæremonias veteris legis ab ipso Deo sic institutas esse, ut mysteria legis Gratia adumbrarent. Quisnam igitur Christianorum, largiatur, vel animam earum partem ex ethnica superstitionis imitatione profluxisse?

## IV.

In Historia Cæli, galice edita, in tabernaculo conversionis Tomulis II. Lipsiæ 1740.

Consuetudines demum, gentibus prope omnibus communes, cum Eruditissimo Seculi nostri Viro D. *Bliche* Gallo, ejusmodi ex fonte profectas existimo, qui Sacræ Paginæ auctoritatem egregie suffulcit. Ait ille, Actiones multas Hebreis, cæterisque Gentibus communes fuisse pervagata consuetudine, non quæ mutuo ab invicem accepta sit, sed ex prima Noemi posteritate, unde tam Hebrei, quam cæteri Populi omnes descendunt, de manu in manum tradita fuerit. Noemum porro cum suis hanc consuetudinem retinuisse ab antediluvianis posterioribus, quibus ipse convixerat: ad quos rursus a suis majoribus pervenerint. Ut adeo rectissime credatur, Actiones plures religiosas, Gentibuslibet omni tempore familiares, ad usque totius Generis humani Protoparentes referri, eorumque Instituta, ab ipso veluti Deo inspirata, censi debere. Quodquidem nulli manifestius, quam e Scriptura, liquet: quæ etiam sola unam & communem omnium hominum originem docet, quam in omnium Philosophorum, & Historicorum scriptis frustra quaeris.

PUBL. Mirum in modum hac exquisita meditatione delector & erudior nihilque optassem, nisi, ut nonnullus horum Rituum communium, exempli loco ex nomine mihi percenseres. TULL. In promptu id est laudato acutissimo Philosopho. *Noe*, inquit, arca egressus, illico cum suis Domino sacrificabat. Unde hoc, nisi quod ante diluuium perpetui moris fuerit, Sacrificiis Deum colere, quemadmodum Abelem & Cainum fecisse cognovimus. *Abraham* fleuit uxorem *Saram* defunctam, *surgensque ob officio funeris* abiit, ut emeret agrum cum spelunca duplici ab Ephron, ubi conjugem cum honore sepeliret. Quid istud? Nisi, quia ritus flendi funera, & cum honore sepeliendi, ex patribus erat: qui ob fidem resurrectionis, humana corpora, non ut cadavera pecorum, abjicienda, sed, futuræ gloriæ causâ, cum decore ac pietate, in spem beatam reponenda censuerunt. *Jacob* dormiens, dum esset sub iter, Scalæ a terra in Cælum porrectæ, & Angelorum præterea ascendentium, ac descendantium, ipsiusque Domini scalæ innixi visione recreatus, mox ut surrexerat, *erexit lapidem in titulum, fundens oleum desuper*. Quo hæc authore tam subito egit? Consuetudine profecto Majorum ibi grates publicas referendi, ubi a Deo peculiaribus beneficiis afficiebantur: Aras quoque ingrati animi signum ponendi, easque affuso liquore consecrandi. Hæc omnia Moysis ætatem, ac legem longissime antegressa sunt, licet eadem non aliunde, quam ex ipso sciamus. Testibus interim Historiis, ac monumentis vetustissimis constat, Aegyptios quoque, & si aliæ tunc Gentes fuerant, consimilia egisse. Unde sane conficias, ejusmodi Ritus, communes consensu quodam Generis humani observatos, originem suam haud alio, quam ab ipso hominum ortu duxisse.

PUBL. Parce mihi quæso, Tulli Honorande, si, ut aliquo me in his dubio liberes, te officiose contester. Opponat mihi fortassis nonnemo: si Sacrificiorum, Altarium consecrandorum, & cum honore dedicandorum ritus, in quibus omnibus apud Gentes quamplurima superstitione intervenerat, ad ipsam hominum originem sint referendi, quomodo hoc cum antediluvianorum fide, quam antea perseverasse volueras, & cum idololatriæ, Moysen longe antecedentis, antiquitate conveniat? Deserto Deo cur Sacra retenta.

V:

Genes.  
IX.Ibid. cap.  
XXIII.Ibid. cap.  
XXVIII.

VI.

VII. TULL. Nihil in his adeo te angat, modo rem ipsam, & ea, quæ rem circumstant, prudenter discernas. Longitudo temporum rei causam, ac finem, propter quem agitur, modumque quo fiat, ob varietatem opinionum, distantiam locorum, & alia plura, facillime immutat. Agitur itaque idem, alio tamen fine modo, ac ordine. Aliter Avi, aliter Nepotes de eadem re sentiunt: distantes ab invicem plerumque ignorant, quo alibi modo agatur: maxima deinde est potestatis in constituendis ritibus inter communitates æmulationis. Dii proinde in unius veri Numinis locum per idololatriam substituti sunt: invocatio tamen, sacra, & aræ retinebantur. Funerum honor, prius ob spem resurrectionis corporibus impensus, nunc ob solam naturæ humanæ præ bestiis dignitatem, aut alias lepidissimas causas, ut erat animarum transmigratio, & alia, vel ob meram vanitatem, ac ostentationem, exhibitus fuit.

VIII. PUBL. Docuisti me denuo in rebus expendendis ultra tironem sapere. Adverto enim, quantum intersit ad ea, quæ pugnare secum videntur, concilianda, rem quampiam non unico duntaxat, & simplici intuitu cernere, sed in illa pariter, quæ eidem variæ accidere solent, mente sanguis prævolare. Hæc enim res cognoscendi ratio doctos inter & indoctos discernit.

IX. TULL. Quoniam provocasti me, amplius aliquid e sensu Domini Plieche tibi aperio, quod ut arbitror, non sine voluptate percipies. Consuetudines inter, quodammodo cum homine natus, ille pariter Neomenias ponit, i. e. Novæ cujuslibet Lunæ observationes. His etenim omnes prope Gentes, quemadmodum & Hebrei, plerumque publica Festa ritu anniversario alligabant. Usus deinde Zonæ illius animalis cœlestis, nempe Zodiaci, per cujus duodecim æqualia spatia Sol transiens, annum perficit, & quatenus ejus tempora discernit. Hæc Dodecatomerii signa, vel iisdem imaginibus, vel nudis characteribus, quibus hodie ab Astronomis pinguntur in vetustissimis, quæ supersunt, Aegyptis monumentis per sæpe occurrere asseverat. Eundo deinde per singula, ad sibi prælatam a *Macrobio* faciem circa Cancrum, & Capricornum, belle admodum docet, non has duas duntaxat, verum omnes Circuli hujus animalis figuras, viva prorsus, & simplicissima esse signa eorum, quæ ipsa in Natura quo-

uolubet mense contingunt. Instruendæ porro plebi, quid omni tempore anni curandum, quidque sperandum, adinventæ esse, & nihil minus, quam idolatriam, spectasse.

Dum namque Veteres in educandis pecoribus, agrisque, quibus utrisque homini maxime opus est, plurimum, immo omne fere studium posuerint: providerit insuper Deus, ut Oves Vacæ, Capræque plerumque proxime Autumnum fœcudentur, ac hyeme pariant, ut brumali sub frigore novi fœtus, matrum calore defensi, & lacte pasti, verno postea tempore in pascua possint educi: prima Zodiaci signa delegerunt *Arietem*, *Taurum*, ac *Geminos*. Pariendo enim præeunt Oves, & in pascua, dum terram apperit Martius, primi exeunt Agni. Sequuntur proximo tempore Vituli, serius nascentes. Gregem denique Capræ complent, ultimo natæ, ac gemine plerumque una ex matre. Ubi Herodoti testimonio comprobatur *Pliche*, Aegyptiis, qui sua in Sphæra cœlesti pro geminis instantibus geminas capras depinxerant, Dioscuros fratres, qui Græcis, ac romanis, *Castor* & *Bollux* erant, incognitos fuisse. X. In 'Euter-pe n. 48.

Aestivalia signa fecere *Cancrum*, *Leonem*, ac *Virginem* spicas tenentem. Primum, ut mense Junio Solem, in auge constitutum cancrino more iterum retrogredi docerent. Alterum, ut Symbolo Leonini roboris vehementiam caloris Julio mense indicarent. Tertium, ut spicæ Virginæ instantem in Augusto messem innuerent. Autumnum designarunt per *Libram* Aequinoctii causa, quo dies noctesque pares evadunt mense septembri. Per *Scorpium* infirmitatum ergo, quæ accidere solent sub frigoribus asperitate ingruente. Per *Sagittarium* denique in Symbolum Venationum, quæ sub extremum Autumnum optime fiunt. Hyemis menses notarunt *Capricorno* ob Solem, Decembri mense denuo ascendentem. *Aquario* propter hyemis pluvias. *Piscibus* propter studium piscandi, proxime ver opportunissimum. XI.

His expositis, ulterius advertit Vir Eruditissimus, cum Aegyptii retinuerint, & creberrime expresserint hæc signa Zodiaci, nequaquam tamen eadem invenisse: quoniam suæ regionis naturæ, ac indoli, magna parte minime convenerunt. Aegyptus quippe nullis pluviis irrigata, sola Nili exundatione fœcundabatur, quæ Julio, & Augusto mense contingit. Unde facile li- XII.

quet, eo temporis, quo alibi metitur, hic loci nihil frugis colligi potuisse. Quare hac in Provincia non modo virgo cum spicis pro signo Augusti non quadrabat, verum etiam Aquarii signum in cælo, quod nunquam depluit, plane otiosum erat. Infert itaque, Aegyptios Zodiacum citra dubium ex regione Sennaar, ubi prima post diluuium populorum divisio facta est, secum attulisse, eumque jam studio ante diluvianorum excogitatum fuisse.

XIII.

Progressus deinde subnectit, omnes illos hallucinari, qui autumant, hæc signa animalia, mere naturalia, & prorsus innocentia, idololatriæ nomen suum, locumque debere, & e fabulis petita fuisse. Multo magis e converso constare, quod petulans Poetarum ingenium his e signis ansam caperit, mendacissimis metamorphosis homines, & animalia in cælum, veluti Numina, transferendi. Sic v. c. *Aries* debuit esse aureum Jasonis ablatum e Colchide vellus. *Taurus* Europæ vector, dum Jupiter eam raperet. *Gemini* facti sunt Castor & Pollux, unico Lædæ ovo exclusi adulteri Jovis filii, & reliqua. Quantum porro cum Dodecatemorio cælesti, tantum cum reliquis pariter Aegyptiorum signis Oeconomicis ausi sunt vates mendaces, ut ex unica quasi Aegypto universa idololatriæ impietas, ceu stygia pestis, atque mephytis, in omnes partes eruperit.

XIV.

PUBL. Plana est viri hujus perspicacissimi doctrina, & quia naturam sequitur, tanto aptior ad persuadendum. Facilius enim in id concedimus, quo sensus, ac usus, rationi quasi digitum intendunt. Nolle tamen percuperem, quomodo tandem Dominus *Plieche* totius idololatriæ Genesin in Aegypto fuisse doceat, atque constituat. TULL. Communis est quidem, ac fere concors in hac re sensus Eruditorum: ast Philosophus noster in hoc singularis est, quod primam Aegyptum hujus mali, quod postea e sinu suo processit, penitus infontem fuisse tueatur. Agit autem hoc libro, non pagina: cujus vero vel brevissima synopsis novum Dialogum poscit.